Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6806
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



odoratusq; e dñs odorem suauitatis: et ait ad eum. Nequaquam ultra maledicam terre ppter homines. Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Nec ultra percutiam omne animam viuentem sicut feci cunctis diebus terre. Sementis et messis frigus et estus. estas et hyems non et dies non requiescet. cap. ix.

a. Benedixit q; deus noe et filiis eius. et dixit ad eos. Crescite et multiplicamini et replete terram. et terror vestri ac tremor sit super cuncta animalia terre. et super omnes volucres celi cum omnibus que mouentur super terram. omnes pisces maris. manui vestre tradi sunt. et omne quod mouetur et viuit erit vobis in cibum quasi olera virentia tradidi vobis omnia: excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cuiuslibet bestiae et de manu hominis. De manu viri et de manu fratris eius requiram animam hominis. Quicumq; effuderit humanum sanguinem. fundetur sanguis illius ad vmaguine dei quippe factus est homo. Vos autem crescite et multiplicamini. et incredimini super terram et implete eam. Hec quoq; dixit deus ad noe. et ad filios eius cum eo. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum. et cum semine vestro post vos. et ad omnem animam viuentem que est vobiscum. tam in volucribus quam in iumentis et pecoribus terre. cunctisq; que egressa sunt de archa et omnibus bestiis terre. Statuam pactum meum vobiscum. et nequaquam ultra interficiet omnis caro ab aquis diluuii. neq; erit deinceps diluuium dissipans omnem terram. Dixitq; deus. hoc est signum federis quod do inter me et vos et ad omnem animam viuentem que est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus celi. et erit signum federis inter me et terram. Cumq; obduxero nubibus celum. apparebit arcus meus in nubibus. et recordabor federis mei quod pepigi vobiscum. et cum diluuium aquarum viuentium que carnem vegetat et non erit ultra aqua diluuii ad delendum omnem carnem. erit quoq; arcus meus in nubibus. et videbo illum et recordabor federis sempiterni. quod pactum est inter deum. et omnem animam viuentem omnique carni que est super terram. Dixit q; dñs ad noe. hoc est signum federis quod constituo inter me et omnem carnem super terram. Erant ergo filii noe qui egressi sunt de archa. sem. cham. et iaphet. Porro cham ipse est pater chanaan. Tres isti sunt filii noe. et ab his disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram. Cepitq; noe vir agricola exercere terram. et plantauit vineam. Bibensq; vinum inebriatus est et nudatus iacuit in tabernaculo suo. Cum autem vidisset cham pater chanaan. verenda patris sui nudata esse: nuntiauit duobus fratribus suis foris. At vero sem et iaphet. pallium imposuerunt humeris suis. et incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui. faciesq; eorum auersa erat. et patris verenda non viderunt. Expergiscens autem noe ex vino cum didicisset que fecerat ei filius suus iunior. ait maledictus chanaan puer. seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitq; Benedictus dñs deus sem. sit chanaan seruus eius. Dilatet deus iaphet. et habitet in tabernaculis sem. sit q; chanaan seruus eius. Vixit autem noe post diluuium. trecentis quinquaginta an